

in circariis Picardie et Normannie a Capitulo Generali deputatus et commissus salutem. Visis litteris confratris nostri abbatis de Seriaco se et conuentus ejusdem loci super fundatione trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum in capella fundata ad reuerentiam et honorem Visitationis beate Marie sita in claustro dicti Monasterii et ante capitulum necnon illud responsorium *Gaude Maria*, etc., quam fundationem comperimus fore et esse competenter fundatam, et quam prefati conuentuales libenter acceptarunt cognoscentes et attestantes feruentem et singularem deuotionem, quam habet prefatus abbas ad Dominum nostrum Jesum Christum et Genitricem Virginem Mariam, singula in premissis contenta laudamus, ratificamus et confirmamus in his omnibus decretum nostrum pariter et assensum nostrum etc. Datum in prefato monasterio anno 1494 die 12^a octobris cursum visitationis nostre exercentes.

PARIS, Bibliothèque de Sainte-Geneviève, ms. 1850, p. 114-115.

Schola Historica Avellanensis, O. Praem.

In Catalaunia, provincia hodiernae Hispaniae, unicum tantum extitit monasterium Praemonstratense, cui nomen Bellipodium (Bellpuig de las Avellanas; seu: Sta Maria de las Avellanas) (Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, III, Straubing, 1956, pp. 162-168). Anno 1835, abbatia haec finem habuit. Nostris diebus, Congregatio Scholarum B. M. V., seu Maristarum, in eo loco sedem habet. Monasterium illud numquam annumerari potuit variis magnis canoniis, quae olim in illis regionibus vere floruerunt. Ultimo tamen saeculo existentiae suae, Bellpuig monumentum litterarium summi momenti erexit. Et hoc quidem labore assiduo confratrum Caresmar, Pascual, et Marti.

Commentarium instituendo in *Gregorianum*, XI, 1930, de editionibus P. KEHR, *Papsturkunden in Spanien*, Berlin, 1926-1927, ac C. ERDMANN, *Papsturkunden in Portugal*, Berlin, 1927, doctissimus P. SILVATAROUCA, in periodico cit., pp. 418-429, haec inter alia scribit: « Speriamo, che in futuro i nomi di G. de Souza,..., il glorioso trinomio di Bellpuig, Caresmar, Pasqual, Marti, troveranno nelli annali della storiografia il posto, che loro spetta, accanto al Mabillon e al Muratori » (l. c., p. 424).

L. GOOVAERTS, in *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, Bruxelles, 1899-1911, de tribus Praemonstratensibus

modo indicatis scite locutus est, secundum fontes qui ipsi praesto erant (cfr. de Caresmar : I, 104-108 ; III, 32 s. ; IV, 26 s. ; de Marti : I, 567 s. ; III, 158 ; de Pasqual : II, 18 s. ; IV, 238). — De alio vero confratre eiusdem abbatae, qui et ipse sub eodem respectu eximias laudes meretur, de Daniele Finestres, etiam sermonem habet GOOVAERTS, l. c., III, 48 ; IV, 67-72.

Ignotum proinde dici nequit monumentum litterarium pergrande olim exaratum a confratribus abbatae Bellipodii. Ex altera parte huic monumento litterario conspectus generalis, bene confectus, merito tribui poterat. Qui conspectus ad foelicem finem deductus a Ed. CORREDERA, F. M. S., publici iuris factus est in periodico *Analecta Sacra Tarraconensia*, XXXIV, 1961, pp. 360-386 ; XXXV, 1962, 183-257.

* * *

Ed. Corredera agit de « La Escuela Historica Avellanense ». Uti ipse fatetur, quaeri posset an sermo esse possit de vera « schola » quadam. Nam, ipso scribente, potius de associatis agitur, quam de schola historica quadam determinata. « Quiza mas propriamente que escuela debieramos denominarla grupo. Realmente no posee características propias y peculiares que lo distingan de otros grupos que simultaneamente trabajan en labores historicas en el ambito nacional » (l. c., p. 361). Agitur de confratribus unius eiusdemque domus religiosae, qui sese successive devoverunt labori simili, et aequali ardore replebantur ad hoc ut colligerent fragmenta varia historica ne perirent ac ulterius lucescerent in futurum.

Quatuor proinde canonici quam maxime praeclari in eadem canonica in hac re eminuerunt.

1. Daniel Finestres.

Natus in civitate Barcinonensi, anno 1702, — uti videtur, die 6 augusti — decessit anno 1744. Vix quindecim annos natus, habitum praemonstratensem suscepit in canonica Bellipodiensi. Caresmar de ipso postea testatur Finestres magnum impulsus dedisse inquisitionibus historicis, quae abbatiam celebrem reddiderunt in tota regione Catalaunensi. — Professionem religiosam emisit die 17 augusti 1718. Per aliquot tempus deinde frequentavit universitatem de Cervera (in Catalaunia), tempore studiorum, quod accurate determinari nequit, absoluto, ad monasterium Bellipodiense rediit. Vix viginti sex annos natus, eligitur in abbatem triennalem sui

monasterii ; munus abbatiale suscepit die 25 iulii 1728. Durante hoc suo munere, fidelem asservatorem monasterii sibi commissi sese exhibuit. Versus finem vero triennii sui abbatialis, controversia non-nihil dura inter membra communitatis exorta est, occasione iuris voti denegati alicui e confratribus. Abbas Finestres graviter inde commotus fuit. Ut autem huic controversiae finis imponeretur, Finestres in civitatem Matritensem missus fuit ; commerciumque epistolare incepit cum abbate Generali Congregationis Hispaniae, St. de Noriega. Intentum exinde natum est conscribendi historiam canoniae Bellipodiensis. Paulo post, Finestres rursus in Bellipodio commoratur. Interim plurima opera litteraria congegit. Cumque constet Daniele nostrum, vix 44 annos natum, iam e vivis decessisse, constat ipsum revera summopere adlaborasse in colligendis materiis quae utiliter aliis, instructionis ac aedificationis causa, communicaret. In GOOVAERTS, I. c., IV, 71 s. textitur catalogus operum a Dan. Finestres conscriptorum. Prorsus idem catalogus operum illorum exhibetur a CORREDERA, *Anal. Sac. Tarrac.*, I. c., p. 383, haustus ex opere CASANOVAS, *Estudios biograficos*, Barcelona, 1932, p. 455-457. Plurima olim extabant manuscripta Danielis Finestres. In epistolis suis agit de historia monasterii Bellipodiensis conscribenda ; chronicon omnium monasteriorum Ordinis Praemonstratensis componere intendebat ; plurima collegit de privilegiis Ordinis. Quae manuscripta perierunt post mortem Finestres. Cum enim iste mortuus fuisset ex morbo pulmonum, « cierta individuo del monasterio mas higienista del cuerpo que del espiritu, come nuestro biografiado muriera de afeccion pulmonar o tisis, temiendo el contagio los hizo i rasgar y quemar » (CORREDERA, I. c., p. 386), manuscripta illa igni commisit...

2. Iacobus Caresmar.

Caresmar natus est in Igualada, die 10 octobris 1717. De eius iuventute parum novimus. In civitate Barcinonensi frequentavit collegium PP. Societatis Iesu, ac lauream doctoratus adeptus est. Viginti quinque annos natus, abbatiam Bellipodiensem invisit. In eademque canoniam paulo post habitum Ordinis, die 1 novembris 1742, suscepit e manibus abbatis Petri Bover, qui tunc pro secunda vice triennalis abbas erat. Die 10 novembris professionem religiosam emisit. Florebat tunc in monasterio illo Daniel Finestres. Qui statim Caresmar sibi qua discipulum solertissimum submitit. Haec collaboratio, simul ac dotes praeclarissimae ipsius Caresmar, effe-

cit ut abbatia Bellipodienses tunc evaserit centrum inquisitionum historicarum, quarum momentum aegre nimium laudare quis poterit. Quando Caresmar, iam laurea doctorali in S. Theologia ornatus, Ordini sese aggregavit, ita ipse, philosophiae ac theologiae lector constitutus est.

Mox vero perspicuens praeclaras divitias culturales in archivo Bellipodiensi asservatas ac absconditas, illas penitus recognoscere ac explorare statuit : quod intentum modo mirando pro posse explevit. « P. Caresmar fue un enorme trabajador. Podíamos resumir su vida en este aspecto asegurando que ordena, recopila o copia y transcribe miles de documentos de inestimable valor para la ciencia, ya en el archivo de Bellpuig, su monasterio, ya en los de la Collegiata de Ager (Lerida), donde pasa un año por lo menos ; en el monasterio de Gerri de la Sal (Lerida) ; San Cugat del Vallés (Barcelona), Banolas, San Juan de la Abadesas y otros monasterios menos destacados, y principalmente el catedralicio y el episcopal de Barcelona » (l. c., p. 188). Per sexdecim annos in documentis illis transcribendis solertissime incubuit Caresmar noster. Interim ministerium concionatoris exercuit.

Durante anno 1751, qua membrum associatus est Academiae Bonarum Litterarum civitatis Barcinonensis. Eodemque anno, die 5 novembris, opus suum magnum incepit : *Anales del Real Monasterio de Bellpuig de las Avellanas de la Orden de Canonigos Regulares Premonstratenses, en el Principado de Cataluna*.

Anno 1754, abbas triennalis Bellipodiensis fit. Iterum idem munus ipsi commissum fuit anno 1766. Interim cum plurimis viris doctis commercium litterarium strenue exercuit ; qua ratione plurima documenta historica ad eius notitiam pervenerunt, ac possibilitas ipsi praesto fuit ea colligendi in volumina. Saepius commoratus est, eundem finem semper intendens, in civitate Barcinonensi et in archivo episcopali. Obiit ineunte mense septembris anni 1791, in civitate Barcinonensi ; sepultusque in abbatia Bellipodiensi, die 5 septembris 1791.

Caresmar addictissimus extitit domui suae religiosae Bellipodiensi. In hac domo quiete labori interno sese dedere ipsi concessum fuit. Bibliothecam apte libris munitam ac Archivum amplum in illa domo frequentare potuit. « Caresmar, ita E. CORREDERA, l. c., p. 209, amaba a su monasterio. Este le proporciono a placer soledad y quietud, cuanto podia necessitar su espíritu inquieto y un tanto agresto por recto. Llego a el bien consciente de cuanto le

convenia el apartamiento. Allí encontro ademas el clima de amor fraterno indispensable a la vida de trabajo y oracion, y ese sin cuidado temporal que lleva a plenitud cuantos medios podian serle a proposito para la expansion que su talento y cualidades exigian. Soledad, biblioteca y archivo riquisimos ; y una paz de que no pudo gozar el mismo Finestres — con su buen caracter — envuelto en disensiones rudas y dolorisimas muy a pesar suyo o de su inclinacion natural ». Adhaesio profunda domui suae religiosae ipsum impulit ad conscribenda duo opera de canonica sua, Bellipodiensi : *Anales del Real Monasterio de Bellpuig de las Avellanas, de la Orden de Canonigos Premonstratenses en el Principado de Catalunya ; et De rebus ecclesiae S. Mariae Bellipodiensis Avellanarum, in Cathalonia, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Praemonstratensium*. Duo haec opera manuscripta permanserunt. Primum ex istis, — Anales — nunc asservatur in ipso coenobio Bellipodiensi, apud fratres Maristas. Alterum — De rebus — nitide conscriptum, asservatur a parrocho Vilanova de la Sal, non longe a Bellipodio.

Caresmar fuit religiosus vere et sincere devotus, veritatis obiectivae amator, et verae charitatis sectator. Catalogus eorum quae scripsit invenitur in RAMON ALOS, *Contribucio a la bibliografia del P. Caresmar*, in *Bulletin de la Bibl. de Catalunya*, IV, 1917 ; F. MARTORELL Y TRABALL, *Manuscrits dels PP. Caresmar, Pasqual y Marti*, in *Estudis Universitaris Catalans*, 1925, 178-240 ; TORRES AMAT, *Diccionario de escritores catalanes* (Barcelona, 1836) : Caresmar.

E. CORREDERAS, l. c., pp. 225-230, tradit catalogum omnium et singulorum contentorum in 5 voluminibus manuscriptorum collectorum a Caresmar, quae asservantur in ipso monasterio Bellipodiensi ad nostros usque dies. In primo volumine varia congeruntur agentia de historia religiosa et civili regionis Catalauniae. Inter illa, thema quoddam magis generale tractatur (foll. 321-354) : *Disertacion Apologetica acerca del uso continuo de la cruz pastoral de los Prelados inferiores que gozan del ejercicio de Pontificales, y de las diferentes facultades que les competen en virtud de sus privilegios o antigua costumbre y posesion en que están*.

Volumen 2 tractat de Monasteriologia Catalauniae ; volumen 3, 4 et 5, potius « Varia » continet. « Varia » ista respiciunt vitam civilem aut religiosam regionis, aut Ecclesiae universalis. Ita, inter alia, continet : vol. 4, foll. 51-84 : *Vetusti Codices Ms. qui in segregatis Sanctae Ecclesiae Barcinonensis hodie dum asservantur, digesti*

ac recensiti a Iacobo Caresmar, Sac. Theologiae Doctore, canonico Premsi. S. Mariae Bellipodii Avellanarum. Anno MDCCLXX ». Vol. 5, foll. 33-83 ; 106-110 : Historiae Eccles. sive Chronicon ab anno 66 ad ann. 232 » ; foll. 133-144 : De iure Primatus urbis Tarraconae ; foll. 165-184 : Version de los 8 primeros capitulos del Genesis ; foll. 375-391 : Sobre el computo de la Hegira ; foll. 609-665 : Monedas antiguas.

Caresmar fuit scriptor eruditissimus. Qui omnes facultates quas possidebat, et omnem ardorem, quo repletus erat, intendebat ad hoc ut facta historica utilia aliis communicaret. In his quaerebat fidelitatem strictam veritati, concisionem ac omnibus pervium modum dicendi.

3. Iacobus Pascual.

Pascual fuit collaborator, amicus, sed potissimum discipulus fidelis confratris sui Caresmar. Natus erat Pascual in oppidulo Esparraguera, non longe a civitate Barcinonensi. Studiis mediis absolutis, universitatem in Cerbera adiit, ibique lauream in Iure civili ac Legibus obtinuit anno 1758. Paulo post, ingressus est in abbatiam Praemonstratensem Bellipodiensem. Veste religiosa indutus fuit die 13 septembris 1759, professionem emisit die 14 septembris 1760. Paulo post, iterum adivit universitatem de Cervera, ut studiis iuris canonici in ea intenderet. Lauream in Iure canonico in dicta universitate adeptus est. In abbatia sua iterum reversus, post absolutum studiorum cursum, statim sese confratri Caresmar iunxit in indagandis memorialibus documentis.

Ex omnibus testimoniis antiquis de Pascual apparet hunc sese toto animo dedisse vitae religiosae fovendae. Insuper notus erat qua eximius et facundus praedicator verbi Dei. Quando Caresmar, anno 1766, factus est abbas triennalis sui monasterii, Pascual fuit ipsius amanuensis.

Anno 1786, disputatio nonnihil aspera exorta est inter episcopum Urgellensem et Pascual. Existebat siquidem olim prioratus Praemonstratensis in loco Bonrepos dicto (cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, III, Straubing, 1956, p. 205) ; prioratus ille fuerat sub dependentia abbatis Bellipodiensis. Cum autem episcopus iura quaedam in locum illum sibi vindicare intenderet, Pascual iura proprii monasterii strenue defendit. De hac re, teste E. CORREDERA, l. c., p. 240, agitur in *Butlleti de la Bibl. de Catalunya*, 1899, pp. 118 ss.

Abbas triennalis Bellipodiensis electus fuit anno 1789. Die 10 novembris munus suum abbatiale iniit. In Priorem assumpsit P. Ios. Marti. Ut bonus administrator bonorum abbatae laudatur. Die 28 septembris 1804, e vivis decessit. In notitia necrologica, in eius memoriam composita, celebratur qua « laborioso en recoger antigüedades ». Reliquit, iuxta eandem memoriam necrologicam, 12 tomos foliorum manuscriptorum, « con notas e instrumentos ». Opus praecipuum ab eo compositum, intitulatum : *Sacrae Antiquitatis Cathaloniae Monumenta*, asservatur in bibliotheca centrali Barcinonensi. Contentum huius operis publicatum fuit in *Butlleti de la Biblioteca de Catalunya*, V, 1930, pp. 198-208. — Praeterea asservantur in Bibliotheca Academiae Historiae in civitate Barcinensi septem alii codices manuscripti, in quibus Pascual tractavit de thematibus ad historiam religiosam patriae suae sese referentibus. — Insuper quinque alii codices manuscripti in Bibliotheca centrali Barcinonensi conscripti a Pascual asservantur. De iisdem ac similibus thematibus religiosis agunt. A Ed. CORREDERA, l. c., p. 248, magis specificè contentum singulorum codicum indicatur.

4. Ios. Marti.

De eventibus vitae Marti non tam multa specialiter notanda sunt. « La figura del P. Marti, ita scribit CORREDERA, l. c., p. 250, vive immersa en el anonimato de lo normal del monasterio. La vida regular, el mismo trabajo nada llamativo, y la formacion intima y propia a que se entrego nos roban toda noticia ». Iudicium tale generale nullatenus significat Marti non fuisse canonicum meritissimum monasterii sui Bellipodiensis. Origine erat Barcinonensis ; relationes quas habuit cum Caresmar occasionem praebuerunt ingressui in religionem. Professionem religiosam emisit in Bellipodio die 7 septembris 1756. Abbas triennalis fuit in monasterio suo ab anno 1758 ad annum 1761 usque, et iterum a die 21 septembris 1801. Mortuus est die 2 mensis augusti anni 1806 ; tunc munere Prioris in monasterio suo fungebatur. Notus fuit Marti apud omnes qua theologus eximius et sapiens animarum rector ; simul ac infatigabilis investigator thesaurorum litterariorum aetatum anteactarum.

Inter opera ab ipso conscripta citatur a coaevis : *Historia de la iglesia de Santa Ana del Orden del Santo Sepulcro*. Ab eisdem dicitur ipsum *Lexicon linguae catalanae* incepisse.

Ed. CORREDERAS, l. c., p. 255 s., indicem tradit operum ma-

nuscriptorum a Marti compositorum, quae asservantur in Bibliotheca centrali Barcinonensi. Indicantur septem opera maiora : inter quae index documentorum Summorum Pontificum quae in voluminibus a Caresmar compositis referuntur ; et volumen continens conciones ac panegyricos sermones. Alia duodecim opuscula, a Marti conscripta, in eodem loco asservantur. In his opusculis, agitur de eventibus historico-religiosis regionis, unum habetur opusculum potius theologicum : *De Morte Naturali B. V. Mariae, eiusque corporal ad coelos Assumptione* (sic !) *argumentum.*

J. B. VALVEKENS, O. Praem.